



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

7 Maji. Nonis Maji.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

S. MARIA Oetingana, qua Sophia phrenetica, & quarto jam anno muta, hoc die, anno 1635, valetudinem integram, ac lingua usum repente in sacello tuo reddidisti. Fac me mutum ad ea, qua tacere me vis; & eloquentem in iis, qua Deo, qua tibi maximè placent!

7 Maji. Nonis Maji.

S. Anctæ Stanislæe Episc. qui Petrum quendam, ante tres annos mortuum, ad vitam reductum, ad tribunal pro teste duxisti: & postea sanctissimo sacrificio intentus, ab ipso Rege obtruncatus, Dei, ad aram usque, amicus, Martyr victima cecidisti. Concisum membratim, & sparsum per agros corpus, ad effusam è cælo lucem, collectum, & compositum, ultrò iterum, absque vulneris vestigio, coaluit. Adesto èt mihi moribundo tuâ ope, non ut me ad vitam hanc revoces, sed ut ad æternam voces, mihi usque ad propitium Jesu tribunal, indè usque ad cælum comes. Amen.

S. Flavia Domitilla Virgo, pro Christo exul, genere, doctrinâ, miraculis, & animarum lucris nobilis; incenso cubiculo, unâ cum Eu-

B b

phro-

phrosynâ , & Theodorâ Virgini-
bus, Martyr.

S. Juvenalis Martyr.

Sancti Flavi, Auguste, & Augu-
stine, fratres Martyres.

S. Quadrate, repetitis tormentis
afflicte, capite truncate.

S. Benedicte Papa.

S. Petre Episc.

S. Joannes Episc. qui signo Cru-
cis muti linguæ impressio, illum
è muto loquentem fecisti, aliis et-
iam persanatis.

S. Domitiane Episc. cui affur-
gens terra sedem ultrò præparavit
qui pertinaces hæreticos tuis præ-
cibus obcæcâsti.

S. Raphaël Archangele, in Bæti-
câ, contra luem pestiferam, cele-
brate.

S. Stephane protomartyr, hodie
Romam translate.

S. Alberte Conf. qui in primo re-
ligiosæ vitæ tyrocinio, à dæmonibus
sub scæminæ formâ latente, ad nu-
ptias variè tentatus, eum fugâsti
victor, quando dixisti : *Abi, qui
superbiâ tua te deturbavit : relinque
me.* qui Messanam, dilectam Dei
Matri Urbem, à fame tuis precibus
liberâsti; voce quoque tunc de caelo
auditâ, quæ preces tuas exauditas
esse

esse dicebat : quò etiam tempore, quatuor triremes, frumento onustas, Angeli ad portum advexere; nec triremibus, nec vectoribus, post frumentum Urbi illatum, conspectis. qui super aquas incedens, Judæos periclitantes liberasti, & baptismo expiasti. qui æger, ac (utì de te dicebatur & scribebatur) igne divino incalescens, vocem è cælo audisti : *In Confessorum choro recipere, æternum Deo fruiturus.* Frúere; ama; gratulor: sed rogo, accende me igne divino, viventem, & morientem. ita sciam, dæmonem, ac me vincere : ita sciam, benè orare, ac demum Deo frui unà tecum.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 320.

S. MARIA, qua, cum S. Stanislao, cuidam tuo clienti apparens, affirmasti, te de insigni, quam erga te, & S. Stanislauum habebat, pietate gaudere; illúmque, ut pergeret, hortata, copiosam in calo illi, unà cum Sanctis, mercedem repositam esse, dixisti. Ora, ut ita colam te, ac tuos, ut gaudeas de me!

S. MARIA, cujus honori concepto ad Deum voto, tibi promissus, conceptus & natus est hodiernus tuus Albertus, ostensus patri & matri sua

per quietem, quasi hac päreret cereum
accensum atque splendentem. quae
iusdem parenti, illum ad nuptias ur-
genti, conspecta, minaciter dixisti: Cui
celerius, quod debes, non persolvisti
& penès te, quod alienum est, re-
tines? Albertus hic tuus meo cultui
est addictus. Nî mihi servum red-
dideris meum, scias repentinò te
moriturum: & ipse, ad Drepanitanam
tuam imaginem, illicò tibi datus est
Religiosus. Domina, sim ardens amoris
Dei igne, lucens exemplo, cereus omni-
bus, qui in domo tuâ sunt. Sim tuus
rotus undique, undequaque. fac me
sanctum; ut illum fecisti. fac, ne possit
me à te quicquam avellere!

S. MARIA, cujus imaginem, unâ
cum Sancti tui hodierni Alberti ima-
gine, ferro vulnerans desperatus alea-
tor; (eò quòd à vobis non iuraretur
ad lucra per aleas colligenda) tuâ, &
Alberti, imagine sanguinem reddente,
fulmine ictus interiit. Doce me, à te,
ac à Sanctis, olim tibi peculiari studio
addictis, petere aurum amoris Dei
& ita petere, ut merear impetra-
re, ad lucra aterni-
tatis!

8 Maji.